

et temeritatis denotatus sim. Sed id, ut ante fatus sum, nec admodum mirari nec satis curare didici, quia scio: sint tantum bene studiosi aliqui, numquam deerunt detractores et emuli. His tamen, quia cum piis et eruditis supra in præfatione non est satisfactum, cum etiam et pontificum iam plerique aliorumque sapientium perplures me super his consolando refoverint, propicio domino vobisque placabili, alias et de his ipsis aliisque præsumptuosis quibusdam oportunius forsitan respondebitur; hic nihil asperum inseretur. Unum hic saltem certum quid ingeram; quod horum quispiam si sese dinoscere nosset¹, ori manum imprimeret, mecumque magis penitentiae latebram² fovere, quam pro huiusmodi falso gloriari, aut tantopere hic satageret prosperari.

Longeve vos salvum in beneplacito suo redemptor aecclesie rectorem dirigat, protegat et benedicat. Amen.

Ceterum: qui, quid egerim, miretur, ecce inpromptu lectitando sententias, auscultando examinet sonos, sicque verum, si sapit, diiudicet, ne præposterus^a livoris arguatur, quam aequę censurę.

Fragment 2:

Item^b alia ad eundem de consiliariis^b

Sermo^{c3} mihi ad te^c, princeps ad te, inquam, o princeps.

Tempus⁴ tacendi actenus et tempus loquendi semper adtendens, dum prepropere loqui trepido, necessaria diutius reticesco. Sed timidam hanc discretionem ultra iam vis ipsa non patitur, minus licet idonee, explicitura quod gestit. Nam etsi ut temerarius aliquibus iudicer, regiis auribus aequo profusius scriptitasse, dum ipse nec ignorem, quam succincte, quam luculente id fieri oporteat, sciens religiosum studium vestrum litterariis magis usibus quam scenicis oblectari plausibus, etiam meam non puduit excellentiae vestrae innotuisse ineptiam. Quamvis, ut verius fatear, scolari tantum licentia sumpto ex vestra persona themate, solum mihimet ne vel vobis insinuandum, com^d...

a) præposteris Hs.
d) cō Hs.

b-b) mit roter Tinte Hs.

c-c) Kolumnenzeile, in Versalien Hs.

¹) Vgl. Prov. 30, 32: Si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum; Iob 21, 5: superimponite digitum ori vestro. Rather Ep. 16, ed. Weigle S. 79: digitum ori appone.

²) Vgl. Heiric, Vita S. Germani IV 249: latebramque fovere perhennem.

³) Vgl. Hebr. 4, 13: ad quem nobis sermo, id est cui locuntur; Rather Ep. 16, ed. Weigle S. 102, 4.

⁴) Eccles. 3, 7: Tempus tacendi, et tempus loquendi.